



Consilia Seu Responsa Juris

Schmalzgrueber, Franz

Augusta Vindelicorum & Ratisbonae, MDCCXL

Cons. XV. Bonorum Ecclesiasticorum. ubi inquiritur, quale Jus Principes
Acatholici, vel eorum Hæredes Catholici in Bona Ecclesiastica per Pacem
Westphalicam obtinuerint.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72304](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-72304)



CONSILIO XV.

In causa bonorum Ecclesiasticorum à Principe Aca- tholio ad Catholicum devolutorum.

SUMMARIUM.

1. Fatti species.
2. Natura bonorum allodialium.
3. seqq. Ex Instrumento Pacis Westphalica volunt aliqui principibus acatholicis attribuere plenum dominium bonorum Ecclesiasticorum.
8. Negatur ipsis proprietas horum bonorum.
9. Neque ipsis juvat bonorum istorum traditio:
10. Neque occupatio bellicae:
11. Neque præscriptio.
12. Procedit hac resolutio tam in bonis imme-
diatis, quam in mediatis.
13. Catholicci non abdicarunt proprietatem bo-
norum Ecclesiasticorum.
14. 15. Principes ad fidem Catholicam converte-
16. Definitur, quid competit principibus circa
hac bona.
17. seqq. Possessio bonorum Ecclesiasticorum in
anno Normali habita non juvat ejusdem Re-
ligionis affectas contra se invicem.
21. seqq. Princeps conversus ad fidem Catholicam
tenetur restituere bona Ecclesiastica.
23. seq. Nec Catholicis, nec protestantibus prin-
cipibus esset consultum, si bona Ecclesiastica ab
ipsis liberè alienari possent.
25. Decisio totius controversie.

FACTI SPECIES.



Ynasta quidam; postquam, deser-
tā fide Catholicā, dogmata Lutheri
amplexus est, ut amplificaret redi-
tus suos, jam olim monasteria
quædam, in suo
territorio sita, in-
vasit, eaque cameræ suæ adjunxit. No-
vissimè linea istius per mortem ultimi de-
scendentis extincta est, qui hæredem di-
tionum suarum nominavit unum ex linea
collaterali agnatum, cùmque Religioni
Catholicæ addictum. Vult iste bona
monasteriorum dictorum haberi pro allo-
dialibus, consequenter pro talibus, quæ
liberè alienari possint in quemcunque
etiam extraneum.

2. Examinandum hic est, an bene hoc
nomine censeantur bona Ecclesiastica,
olim ab Acatholicis occupata, & anno
normali 1624. i. Jan. ab ipsis possessa?
Quod dubium solvi debet ex natura, &
proprietatibus bonorum allodialium, Al-
lodii, ut

Christoph. Besold. *Thes. pract. V. Al-*
lodum, & hujus continuator Diether-
rus V. eodem.

Allud describit, dicitur proprium liberi ho-

minis patrimonium, nomine desumpto à
Lode, seu Fide, quasi fidei vinculis solu-
tum; quia prædia allodialia, nihil penitent
nihil debent, nec fidem, nec ulla alia onera.
Propriū ergo his bonis est, ut, qui bona hu-
jusmodi possidet, proprietatem illorum ha-
beat, & quoad hanc, ipsaque bona nul-
lum ulteriorem Dominum agnoscat, licet
quoad suam personam, vel ratione rei si-
tæ alterius cuiusdam, & illius quidem ma-
gistratus, qui Dominus territorialis est,
esse subjectus possit; nam, ut notat

Philoparch. *Inform. Jurid. Official. p.*

3. tit. 1. §. 29.

hujusmodi bona allodialia respectu domi-
nii eminentis principi territori, in quo
jacent, subjecta sunt. Proinde

QUÆRITUR I.

*An Acatholici, vi Instrumenti
Pacis Westphalicae, bonorum
Ecclesiasticorum, à se occupatorum, pro-
prietatem obtinuerint?*

A Nsam huic dubio præbuit Instrumen-
tum Pacis Osnabrugensis, ubi Art. 5. Rationes
§. 14. ponuntur hæc verba, bona Ecclesiastica dubitandi:
dubitandi: - - una cum
reditibus, pensionibus, aliisque, quocunque no-
mine signatis, ea seu Catholici, seu Augustana
Confessionis status die 1. Jan. Anni 1624. pos-
sede.

federint, omnia, & singula, nullo planè excepto, ejus religionis consortes, qui dicto tempore in reali eorum possessione fuerunt, usque dum de religionis dissidiis per DEI gratiam conventum fuerit, tranquille, & imperturbate possideant &c.

Idem repetitur etiam de monasteriis, aliisque bonis Ecclesiasticis mediatis in dicto instrum. art. 5. cit. §. 25. ibi, quacunque monasteria - - aliaque bona Ecclesiastica mediata, ut & eorum redditus, jurâque, quoconque ea nomine appellata fuerint, Augustana Confessionis Electores, Principes, statutus Anno 1624. die 1. Jan. possederunt, eadem omnia, & singula, sive retenta semper, sive restituta, sive vigore hujus transactionis restituenta iisdem, possideant, donec controversia religionis amicabili partium compositione universaliter definiantur, non attentis exceptionibus, sive ante, sive post transactionem Passavensem, aut pacem religiosam reformatam, & occupata, aut quod non de, vel in territorio Aug. Conf. statuum, vel exempta - - aliave quavis ratione obligata dicuntur, unicum, solumque hujus transactionis, restitutionis, observantiae futura fundamentum sit die 1. Jan. An. 1624. habita possessio, irritis prorsus exceptionibus, qua ex introducto alicubi locorum exercitio interimistico, vel anterioribus, aut secutis pacis generalibus, aut specialibus transactionibus, vel litibus motis, causâve decisis. - - Et ubi supra dictorum omnium bonorum, eorundem pertinentium, fructumve Aug. Conf. statibus aliquid quovis modo - - a dicto tempore interversum, aut ademptum est, omnia absque mora, & indistincte - - restituantur - - nec Conf. Aug. addicti posthaec in habita, vel recuperata possessione ullo modo turbantur, sed ab omni persecuzione juris, & facti perpetuo tuti sint, donec controversia religionis composta fuerint.

4. Ex utroque hoc pacificationis Osnabrugensis loco Author Anonymus ad dictum Art. 5. §. 25. specim. 3. infert imò protestantes in possessione bonorum Ecclesiasticorum, qua dicto anno normali obtinuerunt die 1. Januarii, perpetuo tutos fore, non attentis ullis exceptionibus, ita, ut nihilominus conventio hæc perpetua futura sit, & pax semper duratura, non obstante hac clausulâ, & conditione, donec controversia religionis composta fuerint; hos enim terminos, & conditionem, quâ existente reviviserent Catholicorum jura, & actiones, dicit magis, vel honoris causâ appositam videriait, quam, ut multum distet ab abdicatione in perpetuum factâ, eò quod controversia Religionis ad calendaras, ut ajunt, græcas amicabili partium compositione, definiendæ sint. Nam

5. 2. Ut idem Anonymus l. cit. V. amicabili compositione, addit, ad compositionem controversiarum Religionis per memoratum instrumentum dict. loc. hæc

duo requiruntur, scilicet primò, ut fiat compositione amicabili, & secundò, ut universali. Primum omnem vim, metumque excludit, ut actio sit libera ab omni coactione: alterum universaliter negotium facit, ita, ut non hoc ipso, si unus, vel alter status defecerit, res statim pro confecta habenda sit, quamdiu superius alii, qui constantiam servant, possesso enim, inquit, statuum A. C. firma est, etiam alicubi contigerit mutatio quedam Religionis; sed, ut reviviscant jura, & actiones Catholicorum, universalis esse oporter, quæ conditio, ut quidem Anonymus hic dicto §. 25. V. perpetuo tuti sint, opinatur, vix ab illa distat, si digito calum tetigero, cum, ut ait ille, unum æquè sit difficile, ac alterum, quamdiu vis, & coactio abest, quibus argumentis, experientia teste, controversiae Religionis non componuntur. Hinc iterum idem Anonymus V. amicabili compositione cit.

3. Infert, eti principes, abjectis prioribus sacris, ad Catholicam Religionem transferit, non modò subditis integra forte omnia, quæ pro securitate suæ conscientiæ, & religionis ex pace Westphalica habent, sed ne ipsum quidem principem illum, si sponte aliud non voluerit, ad restitutionem bonorum Ecclesiasticorum teneri, quorum possessionem semel ex hac lege natus est, quia constitutum est, ut, quæ dictâ die anniique posseidit, ita semper possideat, donec de controversia Religionis universalis compositione fuerit transactum. Ex quo etiam sequi ait, licet princeps ille in gratiam cleri Catholicorum quibusdam bonis Ecclesiasticis cesserit, successorem tamen illius, sive ejusdem sit religionis, sive diversæ, facto successoris sui, ut stet, non obligari, sed revocare bona ita ad usus suos iterum posse, quia nemo à quoquam posse in habita, vel recuperata possessione ullo modo turbari debet.

Ex his deducere volunt principes, & status, Confessioni Augustanae addicti, sibi competere dominium proprietatis in Episcopatus, monasteria, & alia bona Ecclesiastica, à se, vel majoribus suis occupata, & die 1. Jan. An. 1624. possessa; nam dominium proprietatis communiter definitur esse jus reale disponendi de re aliqua tanquam suâ, nisi lege prohibetur. Tale autem jus habere se dicunt; nam 1. de his bonis disponunt, etiam vendendo, alienando &c. prout placuerit. 2. possident illa, tanquam bona sua, & sibi propria; ajunt enim esse secularizata: & hinc plures Episcopatus, ab ipsis occupati, non jam Episcopatus, sed ducatus, & principatus vocantur. 3. nullâ lege ab usu, & dispositione eorundem prohibentur: imò lex ipsa, per pacificationem Osnabrugensem prodita, iisdem in usu, & dispositio-

ne bonorum affluit, dum in hujus pacificationis instrumento, sublati prorsus omnibus exceptionibus, quæ ipsorum possessioni opponi possent, eosdem perpetuò tutos, securosque esse in sua possessione jubet, usque dum controversia Religionis amicabili, & universal compositione tollantur, quæ compositio nunquam, vel ad Græcas solum Calendas inhibit: adeoque per idem instrumentum acceperunt titulum, cùmque perpetuum, ut adeò concessio hæc ab abdicatione bonorum istorum, perpetuò facta, non distet, sive que translatione ipsorum in eosdem facta, videatur translatum in eos etiam bonorum istorum dominium, & proprietas.

8. Sed standum est indubitate pro negativa ex omnium Catholice sentientium certa doctrina, atque id merito, quippe cùm principibus, & statibus, confessioni Augustanæ addictis, desit omnis titulus, & modus acquirendi dominium, & proprietatem Episcopatum, monasteriorum, & aliorum bonorum Ecclesiasticorum, ab ipsis occupatorum; non enim i. hunc titulum ipsis tribuit instrumentum pacis Cæsareo-Suecicæ in Art. 5. §. 14. & 25. cirt., quippe cùm dictum instrumentum nec in allegatis locis, nec alibi uspiam utatur vox illa, exprimente proprietatis, vel dominii in ista bona concessionem, sed tantum statuit, ut bona hæc, quæ Anno, & die normali possederunt, tranquille, & imperturbatè possideant: quæ verba non proprietatem, sed possessionem duntaxat indicant, eamque limitatam ad tempus, usque dum scilicet de Religionis dissidiis per Dei gratiam conventum fuerit. Probatur ergo ex his verbis possessio merè facti, non juris, in qua fuerunt tolerati. Nec alia fuit, aut esse potuit mens paciscentium Catholicorum, quippe qui, cùm meri laici fuerint, non potuerunt sua laicali potestate disponere id bonis Ecclesiasticis, & tribuere istorum bonorum dominium, sed solum ob miseras illius temporis, & præpotentiam principum protestantium coacti fuerunt illos tolerare in sua qualunque possessione. Et propterea

9. 2. Dominium horum bonorum non poterat ipsis conferre traditio, seu rei traditæ apprehensio; nam, ut hæc dominium transferat, requiritur i. ut sublîtitus, & justa causa, quæ sit habilis ad transferendum dominium.

i. nunquam nuda 31. ff. de acquir. rer. domin.

Et hinc nunquam illud acquiritur sine ejusmodi titulo. 2. ut fiat à Domino, habente liberam administrationem rerum suarū.

i. traditio 20. ff. eod.

Et ideo traditio, facta à pupillo non transfert dominium. 3. ut intercedat utriusque tam accipientis, quam dantis voluntas, atque consensus in rem, quæ traditur.

R. P. Schmalzgrueber Consilia,

i. in omnibus 55. ff. de O. & A.
ubi interest, quomodo dans voluerit rem tam tradere, an in possessionem, an vero etiam in proprietatem. 4. ut res tradita sit vacua ab alterius possessione. 5. ut traditio facta sit sine conditione tacita, vel expressa; omnis enim conditio suspendit obligationem usque ad eventum. Omnes vero hæc conditions in casu presentis questionis desunt; nam i. possessores bonorum Ecclesiasticorum principes, & status Acatolici non possunt allegare titulum justum, ex quo probent dominium eorundem: imo possessionis illorum sunt incapaces, donec illa per legitimam authoritatem separentur à titulo spirituali. 2. traditio hæc facta solum est à paciscentibus laicis, qui, ut dictum est num. præ. potestate suâ laicali disponere de bonis Ecclesiasticis non potuerunt, cùm administrationem liberam non ipsi, sed Prælati, & præcipue summus Pontifex ex principiis Catholicorum habeat, qui fuit invitus, & ideo, quæ in hac pacificatione constituta fuerunt circa bona Ecclesiastica, expresse annullavit, & irrita declaravit. Et hinc 3. paciscentium Catholicorum consensus, etiamsi intendissent dominium bonorum istorum transferre in principes, & status protestantes, sine consensu Pontificis, non valueret. 4. Possessio horum bonorum non fuit vacua, quippe cùm Prælati, quorum erant hæc bona, vel saltem summus Pontifex, tanquam supremus rerum Ecclesiasticarum administrator, eadem bona animi adminiculo retinuerit, & sic possederit adhuc civiliter. 5. Traditio hæc facta est sub conditione, donec controversia religionis compositæ fuerint, consequenter non dat dominium, sed tantum pro interim possessionem adjudicat.

3. Proprietas istorum bonorum non potuit obtineri per occupationem bellicam; nam occupatio hæc facta fuit sine ullo justo titulo, adeoque per bellum injustum, per quod occupata bona non solum non sunt occupantis, sed potius restituí antiquis dominis debent, & insuper compensari expensæ, in belli apparatum factæ, ac satisfieri pro damnis ab inferente illatis. Imo etsi, quando justum est bellum, illo occupata acquirantur viatori, expresse tamen per SS. Canones passim, & maximè per

Trid. sess. 22. c. 11. de reform. excipiuntur Ecclesiæ, monasteria, & bona Ecclesiastica, quæ reddi debent sis, à quibus ante invasionem hostilem possidebantur.

4. Non possunt principes, & status protestantes prætendere, se bona Ecclesiastica, à se occupata, acquisivisse viâ præscriptionis, idque ob vitium possessionis, quam titulo malo inchoarunt, & continuant

IO.

II.

(A a)

nuant. Cùm ergo constet de hoc vi-
tio, atque istud pacientes Catholici,
tum ob defectum jurisdictionis circa hæc
bona, tum ob renitentiam summi Ponti-
fiscis, purgare non poterant, manebunt
principes, & status in malafide, & sic quan-
tocunque tempore hæc bona possederint,
nullus erit locus præscriptioni illorū. Cùm
ergo nullus alias modus acquirendi
dominium ex iis, qui jure proditi sunt, ser-
vire principibus, & statibus protestanti-
bus in ordine ad acquirendum dominium
bonorum Ecclesiasticorum, à se, vel ma-
joribus suis occupatorum, posse, verum
manebit, quod neque hodie proprieta-
tem illorum habeant, & sic dici neuti-
quampotest, quod respectu istorum prin-
cipum, & statuum allodialia illa sint, quip-
pe cùm, ut dictum est num. 2. allodium
sit proprium liberj hominis patrimonium,
& proprietatem in possessore supponat.

12. Proceditque resolutio hæc de bonis
Ecclesiasticis, occupatis per protestantes,
tam immediatis, quam mediatis. Bona
immediata appellantur, quæ unicè sunt in
fide, & ditione Imperatoris, atque Imper-
ii, ita, ut nihil sit medii, quo velut ne-
xu potestas Cæsar, & bonorum illorum
subjectio mutuò sibi respondent. Medi-
ata ex adverso bona sunt, quibus jus
territoriale proximè incumbit, quæque
adèo intermedio territorio vim jurisdi-
ctionis Cæsareæ in iis demum casibus sen-
tient, quibus ex legum præscripto media-
tis imperari immediate potest. Ita in hoc
bene sèpius allegatus

Author Anonymus *ad Instrum. Pac.*
Cæsar. Suecic. art. 5. §. 25. V. bona Ec-
clesiastica immediata.

qui ibidem inter bona immediata, &
mediata adhuc aliud discrimen adjungit, in
hoc situm, quod bona immediata sint
totum aliquod, quod territorium appellatur,
ipsius Imperii, seu Republicæ nostræ
pars principalis; bona mediata vero sint
pars territorii. Addit discrimen ter-
tium, in isto consistens, quod bonorum
immediatorum possessores hoc ipso, quod
tales sint, superiore non habeant, nisi
Cæarem; at quibus mediata propria sunt,
Domino etiam territoriali subjaceant.
Neutrorum ergo bonorum, si Ecclesiasti-
ca illa sint, & occupata à principibus, &
statibus protestantibus, proprietatem per
pacem Westphalicam illi obtinent; quia
in hujus pacis instrumento solum illis ad-
struitur possessio, non proprietas, quip-
pe cuius obtinendit titulum nullum omnino
allegare possunt, prout ostensum est à
num. 8.

13. Neque obstant argumenta ex Autho-
re Anonymo num. 4. & tribus seqq. in con-
trarium allata. Ad 1. clausula illa, do-
nec controversia Religionis composita fuerint,
non dicis tantum, aut honoris causâ pos-
sessioni, per hanc pacem protestantibus

adjudicatae, adjecta est, sed eadem pos-
sessio, necessitatis, & majorum malorum
vitandorum causâ eò usque concessa fuit;
sicut enim miseris illis temporibus Catholi-
ci pacientes coacti fuerunt in hoc cede-
re protestantibus, ita in futurum redire
possunt sereniora, & quietiora tempora,
quibus jura Catholicorum reviviscant.
Fecerunt tum Catholicci pacientes, quod,
consideratis temporum illorum circum-
stantiis, potuerunt, relinquendo prote-
stantes in possessione bonorum Ecclesiasti-
corum, ex qua illos ob debilitatem vi-
rium exturbare non potuerunt; facient
autem, cùm controversia Religionis com-
posita fuerint, & errorem suum prote-
stantes agnoverint, quod debebunt, &
reddi facient Cæsari, quod Cæsar, Deo,
quod Dei est. Proinde hæc adjudicatio
possessionis neutiquam haberi potest pro
abdicatione proprietatis bonorum Eccle-
siasticorum, à protestantibus occupato-
rum, in perpetuum factâ, quippe cùm hanc
abdicationem Catholicci pacientes face-
re nec voluerint, neque ex defectu pote-
statis, ac jurisdictionis in hæc bona, ullo
modo potuerint. Ex quo sequitur respon-
sio

Ad 2. Nam eventus conditionis, do-
nec controversia Religionis composita fuerint, li-
cet amicabilis, & universalis esse debet,
non ita difficilis, vel impossibilis est, ac
illa, si dixit cœlum et tergo; sicut enim pro-
testantes tanto numero olim à fide Ca-
tholica descivere, ita, aspirante animis il-
lorum Deo, redire ad eam possunt, præ-
sertim si principes ipsi, quorum jam aliqui
hoc fecerunt, exemplo suo subditis suis
præeant, & Ecclesia Catholicæ sese jun-
gant; cùm enim bona Ecclesiastica plera-
que sint in manibus ipsorum principum,
hi, ad fidem Catholicam conversi, etiam
agnoscent, nullo titulo se hæc bona reti-
nere possè, & sic illa vel restituent, vel
pro iis retinendis à summo Pontifice dispen-
sationem petent: & sic opus non erit ar-
mis, quibus ad hoc cogantur, sed seriâ vo-
luntate reddendi ea, quæ sua non esse in
conscientia sua agnoscent.

Ad 3. Erronea apud omnes Catho-
licos est propositio, quæ defendit, princi-
pem, qui ejuratà confessione Augustana,
ad Catholicam Religionem transiit, nisi
spontè voluerit, ad restitutionem bono-
rum Ecclesiasticorum non obligari. Item
altera, quæ successori hujus, si iste bonis
his cesserit, & clero Catholicæ ea restitu-
rit, tribuit potestatem ea rursum ad usus
suos revocandi, præsertim si & ipse hic
successor Catholicus fuerit; hoc ipso enim,
quod Ecclesiæ Romanæ se junixerit, etiam
hujus legibus sese subjecit, inter quas una
est, juxta quam bona Ecclesiastica non
nisi autoritate Ecclesiastica, alienari, &
à laicis vindicari possunt. Et hanc ob-
cau-

causam Pontifex, quæ circa bona ista, à protestantibus occupata, in pace Cæsareo Suecica disposita fuere, expresse annullavit, atque irrita declaravit, atque ob eandem causam principes Acatholici, ubi Catholica Sacra amplexi sunt, obligatos se in conscientia sua hactenus semper agnoverunt, ut vel bona hæc pristinis Dominis suis restituant, vel ad illa retinenda ab Apostolica sede dispensationem obtineant.

16. Proinde male Author Anonymus ex allegatis num. 3. textibus deducit, quod principibus, & statibus, confessioni Augustana addictis, competit dominium proprietatis in Episcopatus, monasteria, & alia bona Ecclesiastica, à se, vel majoribus suis occupata, & die 1. Jan. 1624. possessa; nam 1. ut iteratè dictum est, per pacificationem Cæsareo-Suecicam nondominum, sed nuda possessio, vel potius detentio iisdem concessa, & quidem limitate duntaxat fuit. Proinde 2. dum ea tanquam sua, & sibi propria, atque ut secularizara dicunt se possidere, in hoc pessime errant, cum nullus adhuc titulus iustus, vel modus, quo illa acquirere sibi in proprietatem potuerint. Neque enim 3. per hoc, quod pacientes Catholicci possessionem bonorum istorum iisdem reliquerint, concessio hæc abdicationis speciem habere potuit, quippe cum iisdem pacientes eorum administratores legitti mi nequaquam fuerint, sed solus Pontifex, quem conflat abdicatione huic expresse se opposuisse. Solùm ergo hoc habent principes, & status Acatholici, quod in hac sua qualicunque possessione usque ad amicabilem, & universalem controversiarum de Religione compositionem, inter partes initam, actione, contra eos institutâ, turbari non possint.

QUÆRITUR II.

Utrum Princeps, vel status Acatholicus, si ad Sacra Catholica, abdicata Confessione Augustana, transierit, favore hoc, per pacificationem Westphalicam circa possessionem honorum Ecclesiasticorum induito, adhuc gaudere possit?

17. Dubitatur hic Author Anonymus in meditationibus suis ad Instrumentum pacis Cæsareo-Suecicæ art. 5. §. 25. V. Augustana Confessionis, & ait, forsitan, solo mutante principe, territorio vero, & subditis pristinam Religionem retinentibus, Catholicis non fore locum vindicandi bona Ecclesiastica à principe ad fidem eorum conuerso: ac dein resolvit pro negativa, pu-

R. P. Schmalzgrueber Confilia,

tatque sufficere possessionem, An. 1624. habitam, si illa protestantis contra Catholicum fuit. Rationem dat, quia, eti postea ille, vel successores ejus mutarint Religionem, manet tamen possessionis causa, & exceptionem quæsitam perpetuat, quæ removere possit clerum Catholicum, si, intentatâ huic principi, vel statui lice, bona Ecclesiastica, antea ab hoc possessa, revocare attente.

18. Resolutio praesentis questionis dependet à decisione dubii, an favori huic locus sit, quando ejusdem religionis partes, scilicet protestantes cum protestantibus, vel Catholicci cum Catholicis, de ejusmodi bonis Ecclesiasticis, & possessione eorum litem habent? In quo dubio sibi allegatus Author Anonymus V. Augustana Confessionis cit. distinctionem facit, utrum initio statim exorta lis sit inter eos, qui eandem religionem profitentur, an verò postea, quam unus, relictâ pristinâ Religione, quam professus est, ad alteram Religionem transit, aut (in quo ratio eadem pugnat) unius religionis professor alteri religioni addictum successorem habet, prout contingit in casu substrato, ubi principi acatholico, qui usque ad mortem suam bona Ecclesiastica favore pacificationis prædictæ possedit, succedit hæres Catholicus. In hoc secundo distinctionis casu putat I. cit. idem Anonymus, locum esse favori hujus pacificationis ob rationem num. præc. allatam, quamvis fateatur, periculosa esse causam status Evangelici, ut vocant, si ille ad Religionem Catholicam transeat, vel successor illius Catholicus sit; nam, ut ait, tum, eveniente tali mutatione, prima ferè cleri Catholici expeditio est, ut principem ad restituenda bona Ecclesiastica adigit, quæ sibi hujusmodi princeps servare poterat, si Confessioni Augustana mansisset additus. In casu autem primo distinctionis negat, fore locum huic favori, sive inter ipsos Aug. Confess. status, sive inter status Catholicos secum invicem de ejusmodi bonis Ecclesiasticis, eorumque possessione lis vertatur.

Hanc primam distinctionis partem optimè probat dictus Anonymus ex allegata pacificationis art. 5. §. 25. sibi cit. ubi de iis tantum gravaminibus transactum, conventionumque est, qua inter utriusque religionis Electores, principes, & status vertebantur: & hoc referendam ait esse clausulam illam, donec controversia religionis amicabili partium compositione universaliter definiantur, quæ habere locum non potest apud eos, qui ejusdem religionis sunt confessores: quod confirmat ex oppositione statutum Aug. Conf. & Catholicorum hoc, & sequenti §. facta, ubi in singulis separatim statuitur, quid uni parti contra alteram juris sit. Cum ergo, ut idem Anonymus moneret,

(A a 2)

om̄

19.

omnes, sive Evangelici, prout vocari volunt, sive Reformati sint, & censeantur sub nomine additorum Confessioni Augustanæ, inde concludit, hos adversus istos favore hujus articuli uti non posse. Consequenter, si quis sic appellatus Princeps Evangelicus ante transactionem Passaviensem Monasterium aliquod occupavit, postea verò quacunque de causa ab alio reformatæ religionis Principe, vel statu possessione dejectus est, licet iste, contradicente tamen ita destituto, possessionem suam usque ad diem 1. Jan. 1624. continuaverit, atque dicto die, & anno Monasterium tale possederit, dejecto tamen remedia recuperatoria periisse non videbuntur, eo quod, si attendatur mens Pacientium, & totius hujus articuli 5. dispositio, in hoc tractentur perpetuò negotia, inter Protestantes, & Catholicos controversa: consequenter ibi disposita neutquam intelligi poterunt de lite, inter Protestantes tantum verante.

20. Idem proinde dicendum, quando lis est inter ipsos Catholicos; nam hæc lis per dictum 5. inter ipsos extincta neutquam dici potest, quippe cum per pacem Westphalicam ex illo Decretorio Possessionis termino ea tantum jura, & actiones sint extintæ, quæ partes utriusque religionis exercere invicem mutuò poterant, non vero, quæ ex una parte aliis adversus alium habuit. Ex quo idem anonymous infert, in casu, quo Monasterium aliquod, antequam à Protestantibus interceptum fuit, ad alium statum Catholicum quoconque jure pertinuit, iltud verò diversus à priori statutus Catholicus à Protestantibus recuperaverit, & die 1. Jan. 1624. possederit, hunc posteriorem statum Catholicum contra priorem dominum Catholicum exceptione possessionis dicto anno, & die habita, tutum non esse; hac enim de re inter ipsos Catholicos planè nihil conventum est: quod autem inter Protestantes, & Catholicos actum est, his nocere non potest, quando inter ipsos solos causa disceptatur. Consequenter prior domino Monasterii Catholico, licet postea à Protestantibus possessione dejectus sit, contra posteriorem Catholicum Possessorem, qui Monasterium hoc à Protestantibus ante annum Normalem recuperavit, & die 1. Jan. 1624. possedit, integra manebunt remedia recuperatoria, nisi dictum Monasterium vel legitima translatione, vel viâ Præscriptionis à posteriori obtentum sit.

21. Jam verò quoad secundam partem distinctionis num. 18. allatae, in casu, quo Princeps vel status Augustanæ Confessionis, hac abdicata, Catholicam religionem amplectitur, vel Protestant Princepi demortuo succedit hæres Catholicus, ut vidimus num. 18. affirmat sè nominatus author Anonymus, favorem pacificationis Cæsarco-Succicæ, per art. 5. §. 25.

Protestantibus indultum, profuturum Principi, vel statui, ex Protestantium secta ad Catholicam fidem converso, vel ejus successori Catholico, & propterea continuare hunc posse possessionem bonorum Ecclesiasticorum etiam post mutatam à se religionem; sed contra universalia, & certa Catholicorum principia, qua Princeps, vel status, ad fidem Catholicam conversus, aut Protestantis successor Catholicus hoc ipso, quod fidem Catholicam profiteatur, etiam ipse sequi, iisque conformare se debet; nam juxta hæc principia Acatholici bonorum Ecclesiasticorum possessores istorum non proprietatem, quippe quæ in instrumento Pacis nuspianam iisdem adstruitur, sed nudam solum possessionem, seu potius violentam detentionem, pacis amore à pacientibus Catholicis toleratam, & quidem sine omni titulo vero, aur legimo habent, quippe cum supremus horum bonorum administrator, Pontifex restiterit, & hodie resolutus, consequenter sine hujus consensu ipsimet pacificantes Catholici tradere bona ita Protestantibus in proprietatem nullatenus voluerint, vel potuerint.

Proin labitur argumentum ex Anonymo authore num. 17. allegatum; nam Possessionis causam, propter quam Protestantes in possessione sua contra Catholicos, bona Ecclesiastica repetentes, defendere sese possunt, Princeps, vel status, ad Catholicam sacra conversus, aut Protestantis successor Catholicus juxta dicta non amplius pro justa habere potest: consequenter vel restituere illa tenetur, vel ad ea retinenda Apostolicæ Sedis dispensationem sollicitare. Atque ita haber perpetuus usus, & praxis Principum, & statuum, conversorum ad fidem Catholicam. In quo illustrissimum exemplum dedit Serenissimus Wolfgangus Wilhelmus, Dux Neoburgicus, hujusque filius, Serenissimus Elector Palatinus Philippus Wilhelmus, quorum piissima solicitude fuit, ut bona Ecclesiastica, à Majoribus Protestantibus prius obtenta, vel restituerent, vel dispensationem Apostolicam circa hæc petarent. Imitatus hos est illorum nepos, & respectivè filius, Philippus Carolus, hodie gloriòsè regnans, qui per expressum mandatum Ministris suis injunxit, ut inquirerent, num adhuc penes Cameram suam Electoralem Ecclesiastica quædam bona existant, conscientiam istorum onerans, si, quæ extarent, non curarent restitu: & quidem rectissime; cum enim agnoverit, talia bona sine titulo possideri, illa cum lassione conscientiæ suæ retinere non voluit. Neque propterea, quod conversio ad fidem Catholicam incumbat restitutio talium bonorum, si conversio ita sincera sit, timendum est, ne multi absterrantur à conversione; nam adeò benigna erga ita con-

versos esse solet Sedes Apostolica, ut etiam, si justa sit causa, retentionem illorum ipsis dispensative concedat. Et ita Serenissimus Rex Poloniæ nuper defunctus pro Saxonibus suis, ut hos ad amplectendam Catholicam fidem alliceret, dicitur ante mortem suam petiisse, & impetrasse dispensationem ad retinenda bona Ecclesiastica, si qui ex iis Lutherò renuntiarent, & talia bona haec tenus possedissent.

QUÆRITUR III.

Utrum consultum sit Principibus, & statibus Protestantibus, vel horum Successoribus Catholicis, si bona Ecclesiastica, ab illis possessa, liberè alienare possent?

23. Respondeo, neutris fore consultum. Non Catholicis; vel enim ipsis Catholicis hæc bona alienantur in alios, quam in eos, ad quos spectabant; vel alienationem hanc paterentur ab antecessore Protestantente, cujus hæredes sunt. Primum Catholici, Protestantium successores salvâ conscientiâ, nisi cum consensu Sedis Apostolice, facere non possunt licite, cùm agnoscere debeat, bona ista ad se nullo justo titulo pertinere posse. Secundum non leve præjudicium afferret successor Catholicus; fortassis enim iste dispensationem Apostolicam ad ea retinenda impetraret, si peteret. Adde, quod tali alienatione, si ista ab antecessore fieret in alium emptorem Protestantem, durior fieret causa rei Catholicæ, quæ hoc modo non posset amplius sperare restitutionem bonorum istorum, quam concipere posset, si bona ista cederent successori Catholicico.

24. Protestantibus autem talis libera alienandi potestas ex ipsis eorum principiis foret summè noxia; cùm enim apud hos bona Ecclesiastica sèpè potiorem, fere semper

magnam partem redditum annuorum conficiant, si forte antecessor ob malam gubernationem ære alieno Cameram suam oneraret, & propterea bona Ecclesiastica cogeretur vendere, ejusdem successor haud dubiè conquereretur, quod talibus debitis, ab antecessore relictis, oneratus, subtraet & sibi per alienationem bonorum Ecclesiasticorum tantâ redditum parte, statum suum pro dignitate amplius sustinere non valeat. Accidere autem alienatio hæc præcipue posset in casu, quo Princeps Catholicus, videns se liberis caritatum, & sic in ditionibus suis successurum agnatum, Catholicum, in hujus fraudem bona Ecclesiastica venderet, quorum partem fortasse successor Catholicus per imperatam Româ dispensationem retinere posset.

DICENDUM proinde pro resolutione 25.
hujus Controversie 1. neutquam Acatholico, vi instrumenti pacis Westphalicæ, tuis Controversiæ. Decisio tota bonorum Ecclesiasticorum, à se occupatorum, proprietatem obtinuisse, & sic bona hæc nullo modo pro allodialibus haberi posse, quippe cùm bona allodialia sint, & esse debeat proprium habitantis patrimonium, & sic propria esse debeat. Et sic 2. Principem, vel statum Catholicum, si ad sacra Catholica, abdicata Confessione Augustanâ, transeat, non amplius gaudere posse favore pacis Westphalicæ circa possessionem bonorum Ecclesiasticorum; quia possessio horum est solùm tolerata, vel potius nuda detentio, cuius vitium Princeps, vel status conversus hoc ipso debet agnoscere, adeò ut liceat sine dispensatione retinere illa non amplius valeat. Idem dicendum de successore Catholicico, Principis Protestantis successore. Denique 3. ex ipsis Acatholicon principiis non esse consultum, sed summè noxiū, si Principes Protestantes bona Ecclesiastica liberè in alios Protestantes extraneos alienare possent. Ita salvo meliore &c.

CONSILIO XVI.

In causa controversi juris piscandi.

SUMMARIUM.

1. *Facti species.*
2. seqq. *Potest præscribi jus piscandi vel cumulatively, vel privatively.*
3. *Ad præscribendum jus piscandi requiritur vel tempus immemoriale:*
4. *Vel scientia & patientia domini.*
7. *Præscriptio non debet esse interrupta.*
8. *Deciditur Quæstio.*
9. seqq. *Discutitur, an reus sortiatur forum in loco delicti inchoati, an verò in loco delicti consummati.*
14. seqq. *Pœna pescantium in loco prohibito.*
18. *Deciditur tota Controversia.*